



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Articulus VI. Expediuntur argumenta adversariorum à ratione petita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

## ARTICULUS VI.

## Expediuntur argumenta adversariorum à ratione petita.

## SUMMARIUM.

1. Primò arguitur ex incertitudine inhonestatis.
2. Respondetur. Incertitudinem & formidinem, tantum esse speculativam ex parte iudicii remoti, & motivi directi.
3. Secundo arguitur ex periculo peccandi.
4. Respond. Tantum esse periculum materialis peccati, non formalis.
5. Nemo potest sequi sententiam, quam putat erroneam in iudicio proximo, & in sensu composito ipsius, bene autem in sensu diviso.
6. Obijciunt paritas de fide Divina.
7. Assignatur duplex disparitas de fide & religione universim sumpta.
8. Obijciunt repugnantia probabilitatis cum lege charitatis.
9. Respondetur, DEUM non offendi per veniam legis transgressionem.
10. Plures instantie e moralibus cumulatæ.
11. Diluuntur.
12. Absurditates objectæ errant in supposito.

## §. I.

## Prima classis objectionum diluitur.

1. **A**uthoritatem & fundamenta extrinseca postea discutimus: nunc rationes examinemus, quarum quidem sat multas in præcedentibus præoccupavimus, nunc reliquas juxta Vincentii Baronii modum in tres classes compendio colligemus. Prima ergo classis argumentorum est, quæ petuntur ex communibus prudentiæ & conscientiæ principis. Et arguitur primò. Iudicium & dictamen ultimam conscientiæ, quo operatio honesta dirigitur, debet esse certum, juxta illud Eccles. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Sed sequens opinionem minus probabilem faventem libertati non habet iudicium certum & firmum, quo excludatur formido oppositi: ergo sequens opinionem minus probabilem faventem libertati non habet conscientiam certam & regulam honestæ operationis. Minor probatur: De illa opinione intellectus non potest habere iudicium moraliter certum, contra quam magis urgent rationes, quòd sit falsa, quam propria suadeant motiva, quòd sit vera: sed contra opinionem minus probabilem plures urgent rationes, quòd sit falsa, quam quòd sit vera: ergo intellectus de illa non potest habere moralem certitudinem.

Confirmatur 1. Inde non potest intellectus certificari, ex quo magis inducitur in dubitationem, cum quælibet probabilis generet formidinem, & quidem minus probabilis majorem formidinem oppositi: ergo ex probabilitate præsertim minori intellectus non potest certificari.

Confirmatur 2. Qui habet in intellectu conjuncta motiva pro sententia minus & magis probabili, vel dubitat de minus probabili, vel non dubitat? Si non dubitat, agit imprudenter & temere; si quidem habet majora motiva suspicandi falsitatem, quam judicandi veritatem. Si dubi-

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

tat: ergo non habet conscientiam certam, nec licitè ex tali opinione operatur.

Confirmatur 3. Iudicium magis difforme, quam conforme veritati & honestati, non potest esse regula humanæ operationis: sed tale est iudicium opinativum minus probabile: ergo.

Respondetur ex fundamentis in art. 1. 3. & a. præcedent. præsuppositis, à quibus istarum rationum solutio pendet, negando minorem. probationem distingo: De illa opinione intellectus non potest habere iudicium certum, contra quam urgent &c. iudicium certum speculativum, & stando præcisè in motivis directis, concedo; practicum, & adjunctis motivis indirectis, vel reflexis, nego.

Ad 1. Confirmationem distingo minorem. Intellectus ex conflictu duarum probabilitatum inducitur in dubitationem speculativam & remotam, concedo; proximam & practicam, nego. Ergo inde non potest certificari ex parte iudicii remoti speculativi, concedo; proximi & practici, nego consequentiam.

Ad 2. Confirmationem Respondeo: Habentem motiva pro utraque parte opposita dubitare speculativè, dubietate latè accepta, non dubitare practicè modo superius explicato.

Ad 3. Confirmationem: Aut concedo totum; neque enim asserimus iudicium opinativum esse regulam humanæ operationis, sed initium quoddam & occasionem ipsius: aut distingo majorem: Iudicium magis difforme &c. non potest esse regula humanæ operationis, proxime directiva, concedo; inchoativa, & instar remotæ occasionis, nego.

Arguitur secundo. Qui se committit periculo peccandi, peccat: sed qui sequitur minus probabilem, committit se periculo peccandi: quia illa opinio apparet propior errori, & transgressioni Divini præcepti, quam ab illa remotior: ergo peccat. Nec potest excusari per invincibilem ignorantiam, cum periculum peccandi in motivis retrahentibus sufficienter prævisum sit.

Confirmatur primò. Nemo potest tutè conscientiam sequi sententiam, quam prudenter iudicat esse erroneam, & inducentem in peccatum: sed sententiam æquè vel minus probabilem & faventem libertati aliquis prudenter iudicat erroneam & inducentem in peccatum: ergo. Minor probatur: Illam sententiam prudenter iudico erroneam, contra quam stant gravia motiva, quæ suadeant dissensum & iudicium falsitatis, sicuti in nostris fundamentis illam sententiam prudenter iudico veram & licitam, pro quo stant gravia motiva suadentia assensum: sed contra opinionem minus probabilem stant gravia motiva suadentia rationabilem dissensum: ergo.

Confirmatur 2. Si probabilitas reflexè cognita in aliqua opinione posset excludere formidinem malitiæ formalis in aliqua operatione, sequitur, quòd affirmatio esset causa negationis, & quòd ideo non haberem formidinem de aliquo, quia habeo formidinem: consequens est absurdum: ergo. Sequela patet, quia formido est de

intrinsicæ ratione opinionis probabilis, nam ut D. Th. q. 14. de Verit. a. 1. *Tunc est dispositio opinantis, quando intellectus accipit quidem unam partem, sed de opposita dubitat.* Et 1. p. q. 79. a. 2. *opinio significat actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.*

4. Respondeo, distinguendo majorem, qui se committit periculo formaliter peccandi, peccat, concedo; materialiter, nego. Nulla est enim obligatio vitandi omnes materiales errores & transgressiones legis, ut dictum.

5. Ad paralogismum Confirmationis distinguo majorem, nemo potest sententiam, quam prudenter actu iudicat esse erroneam, tutâ conscientia sequi in sensu composito, & ex vi talis iudicii, concedo; quam potentia & in actu primo iudicat esse erroneam, non potest sequi in sensu diviso talis iudicii, vel ex vi alterius principii & iudicii distincti proximi, nego. Habeam igitur in opinione probabilis motiva suadentia prudentem dissentium, ex quibus possum prudenter iudicare esse erroneam. Quod si ita iudicem, & stante tali iudicio, atque ex vi ipsius velim procedere ad operandum, non potero illam opinionem sequi, quam practicè iudico illicitam. At verò, si ex oppositis motivis actu inducat in opinionis assensum, quod prudenter fieri posse probavimus art. anteced. vel non obstante iudicio speculativo ex aliis principiiis efformem certum iudicium de licita sequela hujus opinionis, quam ego speculativè sive in habitu censeo falsam, turo & prudenter illam sequor in praxi. De quo paulò infra.

Ad 2. Confirmationem distinguo majorem, si probabilitas reflexè cognita, & præcisè relata ad objectum, posset excludere formidinem malitiæ, sequeretur illud absurdum, transcat; si probabilitas relata ad prudentiam, quâ regulatur, illam posset excludere, sic nego. E. g. probabilitas de consecratione hostiæ, de contritione pœnitentis præcisè ut relata ad suum objectum, non excludit formidinem, an hostia sit adoranda, pœnitens absolvendus &c. bene autem ut relata ad prudentiam, quia exinde resultat certum iudicium, *hostia, quam prudenter iudico consecratam, est adoranda; pœnitens, quem prudenter iudico contritum, est absolvendus &c.* & unde prudenter quia illud prudenter iudico esse tale, quod in defectu certitudinis probabiliter apparet tale. Sic pariter probabilitas reflexa de honestate operationis excludit malitiæ formalis formidinem; quia hoc prudenter sequor in praxi, quod prudenter iudico licitum; & hoc in defectu certitudinis prudenter iudico licitum, quod per gravia motiva probabiliter apparet licitum. Alias sanè ex nulla probabili sententia possem certam conscientiam formare, cum hæc argumentatio omnem cuiuscunque opinionis usum impugnet, quod in art. 3. & 4. refutavimus, & ipsis adversariis est solvendum.

## §. II.

*Diluitur classis secunda & tertia objectionum.*

6. Altera classis est argumentorum, quæ à paritate variorum officiorum in humana & Chri-

stiana vita occurrentium ducuntur. Et primo occurrit fides, ex qua sic arguitur. Si licet in materia morum sequi minus probabilem, & minus tutam opinionem, idipsum pariter licet in materia fidei; sed consequens est absurdissimum, hinc enim sequitur, vix ullum amplius formaliter hæreticum reperiri, quæ enim est secta, vel hæresis, quæ non habeat aliqua motiva probabilia linee opinioni faventia, & insuper auctoritatem veterum, qui inter suos doctrinæ soliditate, & vix modesti commendantur? Sequela probatur: quia non minus homo errando in materia morum aberrat ab ultimo fine, quam errando in materia fidei: ergo sicuti hoc non obstante sequi potest opinionem, quæ sibi apparet minus probabilem in materia morum, sic etiam poterit in materia fidei, quam sequelam ex Caramuele pluribus urget Gonet §. 3. n. 11.

Respondeo, vel esse sermonem de materia fidei in particulari, quoad unum alterumve articulum ad materiam fidei pertinentem, v. g. *hæretici baptizandi? an anima Beatorum admittantur ad beatissimam visionem ante diem iudicii?* &c. vel de materia fidei in universum: *Sine Religio Catholica preferenda Genilismo, Mahometismo, Calvinismo?* &c.

Si primum; concessa sequela, negatur absurditas; nam quamvis non constet, per Ecclesiæ definitionem, aut evidentem illationem aliquem articulum esse revelatum, licet cuique opinari, quod sibi probabile visum fuerit, ut patet quæ plurimis exemplis: ita antequam D. Cyprianus, antequam Ecclesiæ oppositum definiret, celebrabat, hæreticos esse rebaptizandos, An anime Beatorum ante extremum iudicii diem clare videant Divinam essentiam, olim ante Florentinam & Tridentinam definitionem disputabatur in utramque partem. Pius II. in Bulla *in effabili* data Anno 1464. relinquit in sua probabilitate opinionem negantem unionem sanguinis cum Verbo in triduo passionis, donec Romana Sedes aliud definierit. De factò libera est opinandi facultas de auxilio Divinæ gratiæ, de universalitate Illarum Scripturarum: *DEUM nemo vidit unquam, In Adam omnes moruntur.*

Si verò sit Sermo de fide in universum, negatur sequela, & paritas. Primò: quia licet tantum una opinio ex contradictoriis possit esse vera sicut una tantum est vera fides; tamen possunt duæ opiniones oppositæ esse veræ & evidenter probabiles; cum econtrâ tantum una fides sit verè & evidenter credibilis ac probabilis; unde hoc ipso, quod alicui fides Catholica apparet probabilior, debet oppositam habere suspensum de improbabilitate, nec proinde poterit ipsi utriusque adhærere: sed si una opinio apparet probabilior, non ideo opposita amittit suam probabilitatem, aut fit de improbabilitate suspecta.

Secundò. Cum fides vera, ut in se est, sit de necessitate mediæ, & detur certa fidei regula, evidentiâ credibilitatis, qui recederet à probabiliiori opinione, recederet ab evidentiâ credibilitatis, simulque exponeret se periculo amittere medium unice necessarium ad salutem: at verò objecta, de quibus utrinque disceptatur, sunt licita, vel illicita, non sunt de necessitate mediæ

neque potest [ut supponitur] in iis deveniri ad certitudinem veritatis; neque tribuunt adibus bonitatem, ut in se, sed ut sunt in conscientia & cognitione, ideo in materia fidei semper oportet amplecti partem securiorem, non semper in motum materia.

8. Secundo. Usus probabilitatis videtur solvere jura charitatis & amicitiae tum DEO, tum sibi ipsi debita. Deo debita: nam lex amicitiae erga DEUM juxta S. D. 2. 2. q. 23. a. 1. nos adstringit, ut quantum possumus, ei velimus bonum honestum, nempe ejus honorem, & obedientiam ad mandata ipsius; sed qui sequitur & consultit opinionem minus probabilem, hoc nequaquam facit: cum enim eligat opinionem faventem libertati contra praeceptum, putat, se hic & nunc posse agere contra Divinum praeceptum.

Confirmatur: Qui probabiliter crederet ex tali opinione amicum graviter offendendum, quam non offendendum, nec tamen vellent ab illo desistere, ad quod nulla illum urget necessitas, convinceretur de violatis legibus amicitiae, cum non crederet amici offensam; sed hoc ipsum agit, qui sequitur minus probabilem; quippe quam videt DEO magis displicere, quam placere. Solveret etiam jura charitatis sibi debita: tum quia sequendo minus probabilem, causat sibi graves remorsus conscientiae; tum quia se ipsum defraudat maximo bono spirituali veritatis, & consciscit se in periculum falsitatis. Unde si peccat Medicus, extra necessitatem praescribens, infirmus acceptans medicinas probabiliter, aut probabiliter nocivas, Sacerdos administrans Sacramenta operando ex sententia minus probabili, probabiliter credens ex incerta materia aut forma posse emergere nullitatem valoris; non minus peccabit, qui sequendo vel suadendo sententiam minus probabilem seipsum vel proximum conjicit in periculum erroris, & peccati.

9. Respondeo, usum probabilitatis non solvere jura charitatis DEO vel sibi debita. Non DEO debita: nam lex charitatis non obligat nos ad volendum, quantum possumus DEO bonum honestum, & obedientiam mandatorum, quae dubia sunt, sed quae certa sunt: & ideo eligens sententiam minus probabilem non violat legem amicitiae, quia sequitur opinionem faventem libertati contra praeceptum dubium, non contra certum.

Ad Confirmationem nego minorem. Nam qui operatur ex sententia etiam minus probabili, operatur ut certus de DEO non offendendo, quippe qui non offenditur materiali suae legis transgressione [cujus evitatio stante ista fragilitate humanae naturae est moraliter impossibilis] sed formali. Non etiam solvuntur jura dilectionis sibi ipsi aut proximo debita: neque enim potest esse remorsus, ubi est certitudo conscientiae, quam asserimus; neque est probabile periculum notabilis damni, sicuti est, si applicentur medicinae dubiae, materiae aut formae Sacramentorum dubiae &c. Nam materialis falsitas, & transgressio legis non est grave damnum animae, cujus tantummodo aliquale periculum subesse potest.

10. Opponunt ulterius quaedam exempla, & paritates à moralibus petitas. ex quibus videtur usus opinionis minus probabilis recte rationi & pru-

dentiae refragari. Nam (1.) imprudenter quis comederet fructum, quem probabiliter judicat veneno infectum. (2.) Imprudenter Imperator praelium iniret, quo tempore & loco probabiliter se vincendum existimaret. (3.) Imprudenter viator viam eligeret, quam probabiliter crederet leonibus aut latronibus infestam. (4.) Imprudenter imò & injuste iudex pro parte minus probabili sententiam ferret. Quomodo ergo excusabitur homo sequens opinionem cum periculo peccati, & falsitatis probabiliter conjunctam? (5.) Certè Princeps aliquis non esset contentus cum suo ministro, si is ageret, quae probabiliter existimat adversari mandato Principis. Et DEUS debet nobiscum esse contentus, si illa sequamur, quae probabiliter judicamus à DEO prohibita?

Respondeo ad primas instantias ut supra, non esse in sequela opinionis minus probabilis periculum peccati formalis, sed tantum materialis, cujus evitandi obligatio in consequente supponitur quidem ab adversariis, non autem probatur. In allatis verò primis instantiis est periculum gravis damni, quod evitare praecipit certa lex charitatis. Quarta instantia de Iudice, ut supra quoque advertimus, non est ad rem; ille enim ex officio, & certa lege iustitiae tenetur judicare secundum merita causa: nihil horum in conscientiae iudicio, ubi alia obligatio non est, quam illud iudicandi licitum, quod prudenter apparet licitum; hoc autem in defectu certitudinis etiam probabiliter opinioni convenire, jam antea multis ostendimus. Ad 5. instantiam de Principe Respondeo, illum non habere iustam causam indignandi, si minister, cum non habet facultatem perendi interpretationem & certitudinem mandati [quod raro contingit] ea faciat, quae rationabiliter existimat mandato non comprehendi, quamquam non desint rationes & motiva, quae oppositum suadeant; sibi enim imputet Legislator, si obscure loquitur. Quia verò plerumque minister ad determinata negotia omni meliori modo perficienda deligitur, etiam à Principe non communis sed exacta diligentia solet exigi, quae ad securiorem mandati observantiam minister adstringitur. Et sic etiam homines in quibusdam certis materiis ad securiora sectanda obligantur, ut infra dicemus. Univerfim verò tantum adstringuntur, ut tutò, prudenter, & rationabiliter operentur.

Tertia classis est argumentorum, quae à posteriori, sive ab absurdis obijciuntur: nempe totius [ut aiunt] Moralis Disciplinae, vitaeque Christianae sanctitas per probabilissimum periclitatur dum ex probabilitate innumeræ opiniones laxissimae [quas magno numero acervant Fagnanus, Gonet, Baronius, Contenson] oriuntur, quibus in omni materia, legum reverentia & observantia eliminatur, mores enervantur, jamque non secundum virtutem & veritatem, ut Christus docuit, seque ipsum in exemplum proposuit, sed secundum aliquam veritatis larvam, & probabilitatis commento fucatam speciem vitam institutum. Verum omnes illae objectiones tantis contentionibus declamatae extra scopum vagantes laxitatem tantum, aut illimitatam probabilitatem impugnant, unde iidem immorari non va-

cat. Limitata verò probabilitas tantum abest à laxanda morum disciplina, ut Mercorus ipse p. 3.

a. 8. fateatur, Joannem à S. Th. ejus doctrinam unice sequimur, à sua sententia non dissentire.

## ARTICULUS VII.

### An benigna sententia advesetur S. Script. dictis SS. PP. & SS. Canonum?

#### SUMMARI A.

1. Textus S. Script. pro rigida sententia.
2. Textus soliti allegari pro benigna.
3. Utrique facile explicantur ab Adversariis.
4. Opponuntur exempla S. Script. contra opinionem probabilem, Adamus, Saul, Roboam, Judai.
5. Adamus inepte proponitur in exemplum minoris probabilitatis.
6. Neque Saul habuit sententiam probabilem.
7. Neque Roboam sequens inconsultum consilium juniorum.
8. Judai non arguuntur à Christo, quòd sequerentur probabilem opinionem Pharisaeorum.
9. Exempla Scripturae pro usu sententiae minus probabilis adducta.
10. Non habent magnam efficaciam.
11. Objecti textus è S. Bernardo & D. Chrysostomo.
12. Exponuntur.
13. Triplex locus ex S. Augustino contra benigniorem sententiam.
14. Ostenditur differentia sententiae probabilis ab Academica opinabilitate, de qua loquitur S. August.
15. Ostenditur mens S. Augustini pro benigna sententia.
16. Quid de SS. Canonibus sentiendum?

#### §. I.

##### Expenditur auctoritas S. Script.

1. AD probabilitatem extrinsecam & auctoritates convertimur. Ubi adversarii magnam benignae sententiae invidiam concire nituntur, dum illam novum Casuistarum dogma, neotericorum commentum &c. appellant, S. Scripturae & SS. PP. sensui difforme, cujus in antiquis & celeberrimis Ecclesiae Doctoribus nullum extet vestigium. Verum, quod ad S. Scripturam attinet, existimo, neque pro rigida, neque pro benigna sententia claram auctoritatem afferri posse. Pro rigida afferuntur inprimis quaedam S. Scripturae dogmata, velut Deut. 26. ubi DEUS praecipit, custodiri & impleri sua mandata ex toto corde, & ex tota anima, h. e. juxta Interpretes, impleri, quantum quis scit, & potest implere. Psal. 118. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis, h. e. omni possibili studio, & observantia. Matth. 7. Quam angusta porta & arcta via est, quae ducit ad vitam? sed sententia benigna illam facit latam & spatiosam. 1. Thess. 5. Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos &c. Ephes. 4. Ne simus parvuli fluctuantes omni vento doctrinae. Christus Joan. 14. Ego sum veritas, non, ego sum probabilitas, &c.
2. Reponuntur pro benigna sententia inprimis illud Christi. Matth. 11. Jugum meum suave est, & onus meum leve, quod tamen vehementer ag-

gravatur per rigidam sententiam, quae imponit obligatio ubique tutiora & probabiliora sedendi, quod vix est possibile. Et Matth. 22. ubi arguuntur Pharisaei, quod alligent subtilia, & gravia & importabilia &c. quale onus est illarum obligatio. Act. 15. Visum est Spiritui S. & nobis, nil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria. Deut. 4. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo h. e. ut explicat Geson. p. 2. de Reg. moral. sub tit. de Sup. Amalandum est in virtutis doctrina via regia, ut restrictum fiat DEI mandatum, nec latius, quam ipse mandaverat.

Respondent sententiae rigidae Patroni, has auctoritates ad se non pertinere, quòd sensus sit, jugum Christi fieri suave non libertate opinandi, sed condimento charitatis, quae omnia facit lenia amanti. Et quòd Pharisaei per suas traditiones imposuerint hominibus obligationes, repugnantes legi Divinae: sententia verò rigorosa flet pro lege Divina &c.

Sed respondent pariter sententiae benignae patroni, nec illos Script. textus contra se congestos ad se pertinere; quia illic non jubetur mandata dubia, & quae nescimus, implere ex toto corde, & custodire nimis, sed quae scimus, & in quantum scimus, ut ipsius Adversarii interpretantur. Via quoque Evangelica non dicitur arcta propter obligationem vitandi quaedam pericula peccati materialis, sed propter certissimas & nobilissimas Evangelii sanctiones, quibus praecipitur inimicos diligere, benefacere his, qui oderunt nos, damnata oecula cordis concupiscentia, & morosa delectatio, prohibetur quavis in proximum iracundia, &c. quae vitatae pro peccatum naturae tam arcta & adversa apparent, ut teste Elparata art. 38. Averroës exclamavit, *Lex Christianorum, lex impossibilem, & Mandarinum Chineses illi audita dixerint, non esse legem pro hominibus, sed pro spiritibus.* Speciem quoque malam, & fluctuationem usus verae probabilitatis excludit, dum conscientiae certitudinem ab omni formalis inhonestatis formidine immunem admittit. Etiam si quoque Christus non dixerit: ego sum probabilitas, non ideo sequitur: ergo non licet et probabiliter operari: aliam neque ex fide liceret operari, cum Christus non dixerit: Ego sum fides.

Exempla quoque è S. Script. pro rigida sententia proponuntur. Et primò Mercorus p. 2. a. 19. ex Gen. 2. opponit: Adamus, & Evam, qui poterant probabiliter credere, se non graviter peccaturos ob parvitatem materiae, vel quòd lex tantum esset poenalis, adeoque non obligans nisi ad culpam civilem, & tamen hac probabilitate non obstante peccarunt.